

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Audianorum haeresi. Cap. IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

THEODOR. HISTOR.

*De Audianorum hæresi.*

CAP. IX.

**I**sta cura ab imperatore longe illustrissimo de doctrina apostolica suscepta fuit. Eodem tempore Audæus quidam tum genere, tum lingua Syrus, nouorum dogmatum inventor vixit: qui iam dudum nefaria scelera parere cœperat ille quidem, sed tum oculis omniū ea subiecit. Nam primum stulte & inconsideratè intellect illud: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: quippe deum formam habere humanam existimauit, & membris corporis circundatum suspicatus est, neque sensum ac sententiam sacræ scripturæ omnino percepit, quæ non raro dei actionibus nomina humanorum membrorū tribuit. Et propterea, quorum ingenia res paulo subtiliores non capiunt, ad hoc modo de diuina prouidentia sentiendum perfacile inducuntur. Huic impietati alias nō dissimiles opiniones adiunxit. Nam ex Manetis errore aliquid decerpens, deum omnium rerum moderatorem, neq; ignis neq; tenebrarum opificem esse afferuit. Verū qui eius sectam sequuntur, ista aliaque, quæ sunt de genere eodem, occultant: quos fertur ab ecclesiasticis conuentibus propterea segregatos esse, quod pars illorum execrabilē exercent fœnus, pars mulierum confuetudine, non vt lex postulat coniugii, sed nefariè impieq; vtuntur. Ceterū si qui ab ipsis vitiis sunt vacui, hi cum illis liberè communicant: & ob eam causam prædicant se separatim vitam degere, siccq; suorum dogmatum celant blasphemiam. Est tamen hæc simulatio plena arrogantiæ, & ex doctrina pharisaica plane nata. Nam accusant illi quidem ipsum animorum & corporum medicum, & quodammodo sic cum sanctis apostolis verba faciunt: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Etiam per prophetam de huiusmodi deus sic loquitur: Qui dicunt, mundus sum, ne me tangas: hic est fūmus iræ meæ. Sed istorum refutare dementiam non est huius quidem temporis: Ad ea igitur quæ sequuntur, percurramus.

*Marc. 2.*

*De Messalianorum hæresi.* CAP. X.

Per